





22a 76
DE
VTILITATE
EXPEDITIONVM CRVCIATARVM

COMMENTATIO HISTORICA

PARS ALTERA

QVAM

PRAESES

GODOFREDVS AVGVSTVS
MEERHEMIVS

A A. M A G.

D. X. IAN. MDCCLXXVI.

HORIS POSTMERIDIANIS

IN AVDITORIO MAIORI

PROFVGNAEIT

RESPONDENTE

IACOBO CHRISTIANO REINHOLDO

DRESDENS. R. V. CVLT.

UT
VITILITATE
EXPEDITIONVM CRVCIATARVM

COMMENTATIO HISTORICA
PARS ALTERA

QVM

PRAESES

GODOFRIDVS AVGVSTVS
MERRHEMIVS

A. A. M. A. B.

D. X. IAN. MDCCCLXVI.

HONOR. POT. MEDICINAE

IN ACADEMIA MARIANI

PROFESSORIS

RESPONDENTE

JACOBO CHRISTIANO REINHOLDO

RECTORIS & V. C. P. T.



§. IX.

Principatus mari facile hactenus penes Graecos, atque Arabes esse credebatur ^{d)}. Praeterquam enim, quod Septentrionales populi myoparonibus late piraticam exercebant ^{e)}, modica erat adhuc urbium Italicarum classibus potentia, superabant tamen reliquos Veneti Siciliaeque reges ^{f)}. Nunc vero, cum tanta multitudo subito illam in Asiam demigrationem peteret, verendum erat, ne si omnes pedestri itinere incederent, breui annonae interclusi vehementer laborarent. Expeditius itaque multis videbatur classe transmittere ^{g)}, et pars, quibus domi nulla nauium erat copia, adiere in Italia Pisanos, Genuenses, Venetos nauigia ab his conducturi, pars, quorum patria mari adiacebat, quantoocyus ipsi classibus aedificandis intenti erant, eoque pacto tam Itali, qui operam suam aliis collocauerant, locupletati ^{h)}, et aliae gentes necessitate hac compulsae uiam antea inexploratam primum tentauere, veluti Flandri, Frisones, Holsati, Dani ⁱ⁾, cum permultis aliis, quorum tum classes

^{f)} *Nauigationis, et commerciorum incrementa.*

^{d)} Ita *Gesta Franc.* BONGARS. T. I. p. 563. de CPoli: *Cyprus, Rhodus, Myrtilena, Corinthus, innumeraeque insulae huius ciuitati seruiunt.*

^{e)} ADAMVS BREMENSIS de situ Daniae, p. 238. ita de Normannis: *Rei familiaris inopia coacti, totum mundum circumeunt, et piraticis, rapibus facultates domum reperiunt.*

^{f)} Documento esse potest memorabilis illa prope Dyrrachium naualis pugna Venetos inter et Robertum, de qua ALEXIAD. L. IV. p. 107.

^{g)} DEMPSTERS ad Accoltum, L. I. p. 36. et FVLCHERIVS CARNOT. c. II.

^{h)} Extat ex Registro veteri Mspt. Contractus nauigii Ludouici IX. Galliae Regis, cum Venetis factus, apud DU CHESNE, Tom. V. p. 435. Vnde constat, temporibus illis minime pecuniosis Regem immane argenti pondus Venetis soluisse.

ⁱ⁾ Auctor Incert. *Histor. Hierosol.* p. 1164. apud BONGARS. *Felix illa classis, quae a Boreali peregrinans Oceano iter intentatum aggressa, tot terrae*

E

classēs in Oriente conspiciēbantur, ex hoc enim tempore Alemannos nautas inprimis bonos haberi coeptos esse constat^k). Incredibile est dictu, quam celeriter tum mercatura vbique aucta sit. Nauicularii enim non solum pro deportatione pretium accipiebant, verum etiam com meatu e finitimis insulis, ac regionibus exercitui in Asia subuehendo ingentem quaestum faciebant^l). Erat Constantinopolis et mercium omnis generis abundantia distenta, et negotiatorum ex omni Oriente concursu celeberrima^m), inde domum redituri nostri, quicquid rarius Asia produxerat, comentes naues onerabant, magnum inde lucrum a populariis suis capturi. Quin eo vsque mercaturae studium cunctos inuaserat, vt cum ipsis Turcis paullatim commercia contraherentⁿ), et aromata, pannos fericos, et cortonios, Saccharum, lintea Aegyptiaca^o), et id genus alia armorum, ferramentorum, lignorumque ad naues ornandas suppe-

terrae marisque tractus permeat, et ab Europa per Africae districta transiens Asiae laboranti succurrit. Hanc Dani moderabantur et Frisones. De Classe Philippi Aug. GVILIELM. BRITO, Philippidos, l. IV. c. 20.

k) MARIN. SANVT. I. II. c. 18. Qui ipse in has regiones se profectum ait, vt sibi de rei veritate constaret. Verba sunt: *Variae habitant ibi nationes, Tremartii, in Partibus maritimis Brementis Archiepiscopatus, Frisones, gentes de prouincia Dulancliae, ac Sylandae, qui optime debent nauigare, sic, vt ab iis posset sanum consilium, et firmum auxilium inueniri. Plura addere piget, quae de Holfatis, Slatuis, Danis memorat.*

l) GVIL. TYR. l. VII. c. 21. *Erant in classe naues Venetorum, Genuensium, Graecorumque, quae a Cypro, Rhodo, aliisque Insulis onustae venalibus frequenter accedebant.*

m) ROBERTVS MONACH. p. 38. *Est autem Constantinopolis prae caeteris omnibus urbibus pingui agro condita, et omnium marinarum diuiriarum mercimonio diues.*

n) Maxime Aegyptum versus haec nauigatio dirigebatur, vnde ex vectigalibus immensum redibat ad Soldanos commodum, de quo queritur MARIN. SANVT. I. I. c. I.

o) Harum rerum species, ac naturam amplissime exponit Id. SANVT. I. c.

suppeditatione compensarent^{p)}). Quod ut commercii genus reprimeretur acerrimis legibus vindicatum est^{q)}), et ut res supra memoratae in ipso Occidentis sinu nascerentur, haud infeliciter tentatum^{r)}). Quo magis autem opus institutum in Europa ferueret a variis Principibus in terris suis mercatoribus eximia priuilegia concessa^{s)}), securitati eorum prospiculum^{t)}), societates, quas *Gildas*^{u)}) vocant, institutae, leges fauorabiles scriptae^{x)}), moneta, ne adulteretur, sedulo

E 2

proui-

p) Idem cap. 6.

q) Excommunicati sunt horrendo carmine Concilio Lateran. an. 1177. et Lugdunensi ao. 1245. MATTHAENS PARIS ad hunc annum: Anathematizamus omnes eos, qui contra ipsum Christum Saracenis arma, ferrum, et lignamina deferunt galctarum.

r) Si fides habenda OTTONI FRISING. Sericorum textores primum a Rogero in Siciliam deducti, ita enim de Gestis Friderici I. l. I. c. 23. *Siculi*, inquit, ad interiora Graeciae progressi Corinthum, Thebas, Athenas, antiqua nobilitate celebres expugnant, opifices etiam, qui sericos pannos texere solent in sui Principis gloriam captiuos deducunt. Quos Rogerius in Palermo Siciliae metropoli collocans artem illam texendi suos edocere praecipit, et ex hoc praedicta ars prius inter Christianos a Graecis tantum habita, etiam Romanis patere coepit ingenii. Vnde etiam haufit ANDERSON. p. 529. Bombyces deinde in aliis regionibus Europae ali cooperunt. MARINVS SAN. l. I. c. 2. *Bombyx* nascitur in Apulia in Sicilia, in Italia, in Creta, Romania et Cypro in bona quantitate. Eadem est cannae Sac-

chari ratio, quae horum bellorum occasione ex Aegypto in Europam propagata est, de qua re iam idem SANVT. l. c. De Zucharo tanta quantitas nascitur in Cypro, quod Christiani poterunt competenter furniri, nascitur etiam in Rhodo, Amorea, et Malta, et in Sicilia aliisque locis nascetur, si procuraretur. Omnino autem inde Siciliam venit, vnde primum in Insulas Canarias, demum quoque in Americam delatum est. ANDERSON in Chronologica Deductione commercii, ad. a. 1200.

s) Vid. Illustr. ERN. MART. CHLADENIVS in Dissert. de Iuribus et Incrementis mercaturae in Germania. Witteb. 1763. et Ill. BOEHME Lips. de initiis commerciorum apud Germanos.

t) Inter leges Castrenses Friderici I. Roncaliis datas a. 1158. haec legitur: Miles, qui mercatorum spoliauerit, dupliciter reddet, et iurabit se nesciuisse illum esse mercatorem. ap. GOLDAST. Conf. Imp. T. I. p. 64. Aequae bene fecit mercatoribus Frider. II. vid. PETR. DE VINEIS l. V. Ep. 49.

u) Dissert. cit. l. 24. et DU FRESNE in Glossar. f. voce *Gilda*.

x) Nundinae celebratae, vnde ius Stapu-

prouisum,), assignatus praeterea honestior in ciuitate locus mercatoribus. Ex hoc itaque tempore florentissimi illius commercii, quod tum ab Saracenis possidebatur, per sinum Arabicum, et Persicum in Pontum Euxinum, et mare mediterraneum propagatum, cuius bonam partem mox ad se traxerant Veneti, Genuensesque, qui ipsam tenebant Caffam in Chersoneso Taurica, donec victoriae Timuri iis exitium in eis regionibus afferrent, atque etiamnum ab Anglis, Gallis, Belgisque versus Orientem opiparum agitarum, origines quaerendas esse censeo^a). Italicarum autem urbium opes adeo creuerunt^b), ut se ab omnimoda dominatione redimerent, ac vel solae diuites haberentur. Quum enim in expugnandis urbibus maritimas saepe laudabilis eorum esset opera, non modo priuilegia inuidenda, verum etiam integros vicos, atque urbium descriptas regiones^c) a Regibus Hierosolymitanis cum plenissima iurisdictione iis in praemium concessas esse inuenimus. Item Veneti, quum Balduinum Flandrum praetore Henrico Dandulo folio Con-

*Italicarum
ciuitatum
potentia.*

Stapulae defluxit. BORNIVS in Diss. de Iure Stapulae, Vestigalia imminuta. LEHMANNVS in *Chronicon Spir.* l. IV. c. 22. Mensura aequabilis introducta, MATTHE. PARIS. ad. a. 1197.

y) Idem ad. a. 1247.
z) Ill. CHLADENIVS l. c. p. 28.

a) ANDERSON in Introductione operi praemissa, p. 34. et de GUIGNES l. c. et HVMIVS in Hist. Angliae Tom. IV. p. 326. vers. Theotic.

b) Iam OTTO FRISING. prodit de Gest. Frid. l. II. c. 13. Nullus est vir magnus, aut nobilis, qui tanto ambitu

inueniri possit, quin ciuitatis suae sequatur imperium. Add. ROBERTSON l. c. SIGON. de Regno Ital. l. X. p. 242.

c) GVILIELM. TYR. l. X. c. 14. et 16. vbi capta per Genuenses Caesarea, a Balduino I. vicus in vrbe peculiaris, et vas sinaragdinum ingentis pretii conceditur, et l. XII. c. 25. vbi tabulae foederis inter Balduinum II. et Venetos deprehenduntur, quarum vis haec erat: *Vt Veneti in omnibus Regis, ac Baronum ciuitatibus Ecclesiam, et integram rugam, plateamque, et furnum iure haereditario perpetuo possiderent, ab omnibus exactionibus libera, sicut bona ipsius Regis.*

stantinopolitano imposuissent, tantum sibi Insularum depacti sunt ^{d)}), quibus tuendis vix pares essent. Lacto deinceps horum exemplo in parem libertatis, ac splendoris spem excitare vrbes Germanicæ celebratissimum illud *Hansæ* ^{e)}) Teutonice foedus percussere, fundamentis eius rei ab Hamburgensibus, Lubecensibusque iactis ^{f)}). Breuique tantarum euasit auctoritas, vt non solum sibi praefidio ^{g)}), sed et exteris pauori essent ^{d)}). Subortae postea et aliae foederatarum ciuitatum circa Rhenum ⁱ⁾) societates ad commercia

E 3

d) GYNTHERVUS MONACHVS ap. CANIS. l. c. p. 17. *Prouinciae Imp. Graecorum in tres partes sunt diuisae, vnam quae ad siscum regis specialem pertineret, alteram, quam possiderent Veneri, caeter.*

e) LAMBECVS in *Orig. Hamburg.* l. II. p. 27. Postquam enim haec ciuitates commercio locupletate erant, facile a Principum iurisdictione se redimebant. Ipsa Hamburgensis ciuitas hac ratione libertatem occupata est. vid. Idem LAMBECVS in *Originibus Hamburg.* l. I. p. 25. *Fridericus Imp. in Asiam profecturus paulo aure discessum vrbi nostrae rogatu comitis Adolphi, praelargum illa subministrauerat viaticum, singularia concessit priuilegia. Ipsum Diploma ibidem concepit verbis legitur.*

f) Idem LAMBECVS l. II. p. 27. *Lubens, inquit, eorum sequor sententiam, qui primum illud Lubecensium, et Hamburgensium foedus, quod a MCCXLI. percussum est, originem censent celebrerrimae illius societatis, quae Hansa*

*Teutonica appellatur. Verosimilimum enim est, cum haec vrbes beneficio istius foederis mercaturam libere, et secure exercerent, et indies maiores vires, atque claritudinem acquirerent, petiisse vicinas Vandaliae et Saxoniae vrbes, vt in foederatarum numero essent. Paulo inferius collocat initia CONRING. de Vrribus Germ. p. 125. ad annum 1260. Palmam autem Lambecio tribuit WILLEBRANDVS in *Chronico Hansae.**

g) In *Diplomate Margarethae Comit. Flandriae, et Guilielmi Imp. sororis, a. 1252.* ciuitates istae dicuntur *Mercatores Romani Imperii.* LAMBECC. p. 37.

h) Incerti Auct. *Chronico. Slaui-ca,* apud LINDENBROG. *Scrip. Septentrional.* p. 208. ad a. 1369. *Ciuitates de Hansa fortiter fugarunt Waldemarum Regem de regno suo.*

i) ALBERTVS STADENS. ad a. 1255. *Quidam validus ciuis in Moguntia, coepit horrari suos, vt pro pace restituenda iuramento se obstringerent.* Con-

mercia iuuanda, et probabile est ex hoc tempore Norimbergam, atque Augustam Vindelicorum ^{k)}, cum opificum celebritate, tum ipsa vrbis amplitudine effloruisse. Nobile in Flandria ^{l)} tum splendebat emporium *Bruggae* ^{m)}, pro temporibus illis haud Antwerpiae secundum paulo serius oriturae, aut Amstelodamo nunc commerciorum reginae. Neque minus inclytae Danorum erant res mari valentium teste *Arnoldo Lubecensi* ⁿ⁾.

§. X.

Antiquata fere seruitus, At vero tot nobilium, ingenuorumque, quos hoc bellum absumserat caede, atque exilio omnino ciuium premi-
uitus, respublica videbatur penuria. Sed ne hoc detrimentum grauius sentiretur creberrimae seruitiorum manumissiones ^{o)} profuere, ingratiis quoque dominorum tum non raro peractae ^{p)}. Vastus enim mancipiorum per agros, familiarisque numerus erat disiectus post bella inprimis cum
 Slauis

*Consenserunt ei et aliae ciuitates pluri-
 mae. Non placuit res Principibus,
 nec militibus dicentibus esse sordidum
 mercatores habere super homines nobi-
 les et honoratos dominatum.* In SCHIL-
 TERTI Scrip. p. 320. *Chronic. Au-
 gustan.* ad a. 1247. et 1255. ap. FRE-
 HERVM in Scrip. Germ. Tom. I. p.
 375. seqq. quod sigillatim nomina ci-
 uitatum recenlet.

^{k)} MARCVS WELSERVS de rebus Au-
 gust. p. 111. citante LEHMANN. p. 247.

^{l)} CONRING. l. c. p. 129.

^{m)} Causam amicitiae Venetorum
 cum Flandris perhibet SANVTVS l. II.

c. 18. ab' expeditione scilicet, qua
 CPolis capta est, perpetua inter utrof-
 que fuere foedera.

ⁿ⁾ L. III. c. 5. *Dani usum Teutoni-
 corum imitantes, cum olim formam
 nauarum in vestitu habuissent propter
 nauium consuetudinem, nunc non mo-
 do Scarlatico vario griso, sed etiam
 purpura et bysso induuntur.*

^{o)} POTTGIESSER de statu Seruorum
 l. I. c. III. p. 161. et BOEHNERVS in
 Diff. cit. p. 39.

^{p)} POTTGIESSER l. I. c. II. p. 103.
 et 112.

Slauis gesta r), quos dura admodum conditione vsos fuisse iam supra attigimus. Ac licet permulti iam a Corolingerum aetate vanae religionis beneficio r) essent libertate donati, multi quoque per praescriptionem s) ex priuilegiis coenobiis, ciuitatibusque collatis eluderent herilem potestatem, nunc tamen velut aggere rupto certatim sacram profitebantur militiam t), haud minis precibusque ad manendum compulli, dominis reclamantibus saepe excommunicationis periculo ambutis u). Quare tum primum *) factum esse legimus, vt integrae seruorum manus sub signis haberentur v), et cum antea in Germanorum proeliis vel solo equitatu decerneretur, haec res firmissimum adhuc robur eorum exercitiis pedestres dedit copias z), in quibus

vt

q) HELMOLDVS I. II. c. V. *Slaui tanta inedia confecti sunt, vt gregarim ad Danos et Pomeranos fugerent, quos illi nihil miserantes vendiderunt.*

r) Apud MARCVLPHEM I. I. formula 33. *Ego pro animae meae remedio, et retributione aeterna manumitto. It. Charta ap. DU FRESNE, sub voce Manumisso, T. II. p. 414.*

s) Praescriptiones istae seruorum fiebant vel in gratiam monasteriorum, vel vrbium, de prioribus exemplum praestant Capitula Ludouici II. ab a. 877. Cap. II. Posteriorum specimen exhibet Priuilegium a Carolo Magno Aquilgrano concessum, et ab vtroque Friderico confirmatum. ap. GOLDAST. Constit. Tom. II. p. 8.

t) Auctor incertus apud MABILLONIUM in Museo Italico T. II. P. II. p. 13. *Dominus non audebat prohibere seruum, omnibus liberum erat iter propter amorem, ac timorem Domini.*

u) Secundum statuta Concilii Lugdunensis, apud MATTHAEVM PARISIVM ad a. 1245. Quae quoniam in negotio Crucis qualiscumque demum conditionis impediri vetant.

x) Nunquam enim ante hac in Germania factum erat, vt seruorum delectus institueretur, vid. POTGIESSER I. I. c. III. §. 15. et Capitularr. ab a. 812. Quoniam in ciuitatibus Italicis in re trepida aliquoties seruitia armata esse relatum legimus.

y) Consulatur locus ex GVIBERTO ABBATE iam supra excitatus, qui de Petro Eremita ait, habuisse in exercitu non nisi mancipia, ac seruitia publica. Item de Gualteri agmine refert ALBERTVS AQVENSIS l. I. c. 7. duxisse magnam peditum multitudinem, octo vero tantum equites.

z) MARIN. SANVT. l. III. P. XV. c. 8. *Saraceni, inquit, boni pedites noui sunt, quare*

vt minor sumtus, ita praestantior praesertim in obsidionibus tolerandis vsus. Ne igitur noualia ab aratoribus deserta plane torpescerent^{a)}, aut liberis hominibus assignanda erant praedia paruo censu imposito, eoque non a personis, sed ex fundis exigendo, aut serui, qui haectenus coluerant, liberandi modica operarum praestatione seruata^{b)}. Vnde pro ingenio dominorum, aut cum libertis conuentionibus admodum diuersa in Germania et rusticorum, et ministeriorum etiamnum obtinet ratio^{c)}. Inualuit et iam ex his temporibus mos, vt seruorum non singuli, sed integri pagi sese pretio dato in libertatem redimerent^{d)}. Quod maxime in seruis, quos dicunt, fiscalinis^{e)} Regum Franciae

quare, si multi pedites adfuerint, maxime arcebunt eorum insulcus. Sequo-ri tempore istque peditum vsus magis apud nostros vlti venit, vocati sunt hi homines, Bubbii, aut Babones, quorum ingentem numerum in exercitu Alberti I. aduersus Bingenenses fuisse docet *Chron. Colmarie* ap. VRSISIVM in *Scrip. Gerin.* Tom. II. ad a. 1300. *Seruorum autem pauperum, qui dicuntur Bubbii, tanta fuit multitudo, vt, caet.* vid. DU FRESNE in *Glossar.* et LEHMANNI *Chron. Spirensis*, p. 631.

a) POTTGIESSER I. I. c. 3. §. 38. *Certe ex his ea rerum conversio secuta, ac tot praedia derelicta sunt, vt seruis facilius fieret audire ad libertatem, dominis ex veteri rigore aliquid remissentibus, aut praedia deserta nouis colonis liberae conditionis concedentibus.* coll. Doctiss. SCHLOCKWERDERI *Diff. de Seruis*, Lips. 1765.

b) Quamquam enim in LL. Baiu-

uariorum, et Alemannorum operas seruorum descriptas inueniamus, probabile tamen est, eas lapsu temporum indefinitas factas esse, ex his igitur temporibus modum certe denuo impositum esse constat. De Censu reali, si ex praediis repetendo vid. POTTGIESSER, I. II. c. VI. §. 17. et DU FRESNE in *Gloss.* sub voce *Censualis*.

c) Vnde BOEHMERVS I. c. affirmat, reperiri in Holfatia pagos liberae conditionis incolis habitatos, alios autem hominibus propriis repletos. Professata sunt inde etiam varia illa nomina, videlicet: Lidi pleni, et minus pleni, Biduani, Triduani, Capitaes, Censuales, Lassi, caet.

d) POTTGIESSER I. IV. c. IX.

e) Luculenta extat charta Philippi IV. f. Pulchri, Francorum Regis, ap. DU FRESNE in *Gloss.* sub voce *manumisso*, qua instante bello Flandrico procuratoribus suis praecipit, vt in pra-

Franciae factum est, quoties aeris indigerent Principes. His igitur libertinorum gregibus ex agris in oppida compulsi Plebes vrbana, ac forensis immensum quantum adaucta est^{f)}, et cum antea in Germania ciuitates et raras essent, et nullius fere auctoritatis^{g)}, breui tempore cum in modum res est conuersa, vt certatim exstruerentur oppida, ac penes vrbes imperii summa steterit dignitas, et in rebus gerendis potentia^{h)}).

§. XI.

Decrescentis potentiae regiae, iuriumque vehementer attenuatorum iam aliquas supra explicuimus causasⁱ⁾, nunc quomodo remotis paulatim impedimentis eadem denuo infaurata fuerint, et quid inde ad Expedd. in Orientem susceptas referri debeat, perficere studebimus. Plurimum autem detrimenti attulerant auctoritati regiae praepotens clientium vis, ac multitudo^{k)}, atque proueniens inde reddituum fisci exilitas. Vtrique igitur occurri debebat, priusquam collapsae regum res possent restitui. At, cum haec iam in eo fuerimus, vt demonstrarem, nauigationis, commerciorum, atque opificiorum initia ex hac aetate esse deducenda,

H)
Aucta majestas regiae.

praediis suis certo accepto libertatis pretio insignem seruorum numerum liberum facerent; promit vero eisdem argumenti Diploma FORTGLIESSER, quo Mechthildis, Ottonis Brunsvicensis ducis coniux, a. 1247. pro repraesentata pecunia omnes in vniuersa ciuitate Luneburgensi seruos liberos esse iubet.

f) CONRING. de Urbib. p. 114.

g) Prima stabilitate vrbium poten-

tiae gloria iure suo redit ad Henricum I. Saxonem, de quo WITTEKIND. CORBEL. l. I. Ex agrariis militibus nouum quemque in vrbe habitare fecit, et omnes conuentus arque conuiuia in iis voluit celebrari.

h) KNIPSCHILD de Ciuitatum Imp. iuribus, Vol. I. l. I. c. 5. et ROBERTS. l. c. p. 326. lqq.

i) §. III.

k) III. CRAMERVS Tom. III. p. 670. Von

ducenda, per se iam inde constat non potuisse haec omnia surgere, quin magnum simul potentiae regiae nasceretur incrementum. Non enim solum opulentia, terris eorum inuehebatur, verum etiam vectigalia, aliaeque exactiones commode institui, augeturque poterant¹⁾. Quo plura urbibus priuilegia, immunitatesque conferebantur, eo firmitus praesidium parabatur ad reprimendos nobilium spiritus. Clarissimum vero est ex succedentium temporum historia omnem maiestatis reuerentiam tum inter Germanos in ciuitatum liberarum amplitudine^{m)}, inter Gallos autem Britannosque in communiarum auctoritate fuisse repositamⁿ⁾. Sed fortassis ex omnibus istis non aeque laeta Regibus fortuna prodisset, nisi simul ipsi validiores illi clientes inconsiderato in bella ista impetu interitum sibi festinassent. Vti enim, quod supra dictum est, nulla in apparatu Expedit. crucc. otiosa domus erat^{o)}, ita post acceptas tantas clades nulla domus luctus expers fuit. Non enim solum ipsi maiestatis regiae contemptores occubuerunt, sed integrae etiam familiae ad interneccionem deletae^{p)}, quarum bona

deinde

Von dem Zusammenhange der Staatsverfassungen im XI. und XII. Jahrhundert mit den Schicksalen des Lehnwesens,

D) LEHMANN. in Chron. Spirensis. p. 244.

m) Deprehendimus apud eundem LEHMANNVM p. 382. peculiare foedus ab Adolpho Nassionico Germ. Rege, cum ciuitatibus Wormatia, ac Spira percussit, quo mutua promittuntur auxilia. et p. 585. legitur Priuilegium eiusdem Regis his verbis incipiens: Nos Adolphus caet. notum volumus esse, quod nos ob fidem impermutabilem, et praeclearae deuotionis memo-

randam constantiam prudentum virorum ciuium Spirensium, quibus nos sunt in gibus obsequis prosecuti, volentes ipsos reciproce speciali prosequi gratia et fauore, caet. et PEEFFINGER in Vitriario Illust. l. III. Tit. xiv. Ed. 1698

n) ROBERTSON p. 46.

o) GVIL. TYRENS. l. I. c. 17.

Non erat vsquam in tot prouinciis, quot habebat Occidens domus oriosa vel vna.

p) MATTHAEVS PARIS ad. a. 1249. de clade Ludouici IX. Gall. Regis, ad Damiatam, obierunt, inquit, in eo certamine male fortunato omnes fere nobiles Franciae.

deinde aut ad fiscum redierunt ^q), aut nouis hominibus certis legibus collata, qui eum antea plebeiae conditionis fuissent et obsequium facile praestarent, et hoc beneficio obstricti insolentiam veteranorum compeferent. Quare ex hac tempestate pleraeque fere mobilium gentes originem traxere, et, quod antea non factum erat, plebei homines feudis ornati^r). Diuersa autem patebat iam feuda adipiscendi ratio, vel munificentia Principum, quibus extincta antiquorum clientium stirpe aperiebantur, vel nouum venditionis, aut impignorationis genus, inscio etiam, atque inuito patrono. Cum enim antea vtrumque nefas haberetur, nunc tamen Pontificis voluntate ea impune faciendi data clientibus facultas ad sumtus in belli sacri apparatus conficiendos. Quo quis igitur de plebe pecuniosior erat, eo facilius sibi nobilium bona comparare poterat, eoque pacto ingens vis minorum ciuium feuda inuasit, nobilitatisque noua classis adiecta^t). Neque mihi incongruum videtur, inde potissimum communiorem perpetuorum insignium vsum repetere

Nouae gentes in classem nobilium adiectae

F 2

^q) ANTON. DADINVS ALTESERRA de Feudis Galliae, apud SCHILTERVM in Cod. Iur. Feud. p. 26. *Maiora feuda, puta Ducatus et Comitatus lege feudorum redeunt ad Principem deficientibus masculis haeredibus.*

^r) Iam Friderici I. temporibus homines de plebe, ob insigne factum ad equestrem dignitatem euectos esse, docet GVNTHERS in Ligurino l. II. v. 609.

Cui rex ob facinus praeclarum praemiū laudis

Digna referre volens, titulos et nomen equestre,

Armaque, cornipedesque ferros, cultusque nitentes

Largiturus erat — —

^s) OTTO FRISING. de Gestis Frid. I.

I. I. c. 35. et GVILIELM. NEVBRIGENS.

I. III. c. 20. Item Priuilegium Alex-

xandri III. Pontif. apud MARTEN. et

DYRAND. Thesaur. Anectod. Tom. II.

p. 749. et ALTESERRA c. X. Hoc effecerunt

variae Francorum in Syriam ex-

peditiones, quarum causa Duces, mi-

lites, et Comites feuda et diriones di-

strahere coacti ea in plebeios et cleri-

cos alienarunt, ut facilius emorem in-

uenirent, idque suadentibus edictis Ro-

manorum PP. qui nihil non tentarunt

belli sacri promouendi studio.

^t) Refert BOEHMERS in Disp. cit.

p. 42. ex CRAMERO de iuribus nobilit.

autitae Tom. I. c. II. p. 80. Diploma-

ricam vocatam esse hanc nobilitatis

classem.

petere²⁾). Omnem autem eorum originem, quod nonnulli fecerunt³⁾), ex his temporibus ducendam esse, affirmare vix ausim, cum iam sub Henrico Aucupe⁴⁾) vestigia eius rei licet subobscura deprehendantur, sed neque constanter, neque ab omnibus ante haec bella gesta esse largimur arma gentilitia. At nunc, vt in exercitu tam vario, qui tum in Asia agebat, vnusquisque ductorum suis esset conspicuus⁵⁾), frequentius inuenta, atque adhibita, vt domi etiam antiquiores gentes sese a nouis hominibus euidentius distinguerent, vbique demum recepta iudicamus⁶⁾). Sed redeundum in viam. Alii enim adhuc modis corroborata est potestas regia, primo quidem per feudorum oblationes⁷⁾). Plerique enim secundariorum nobilium, qui hucusque dicto parum audientes fuerant, cum se inualefcenti aliorum potentiae impares sentirent, ad officium reuerfi bona haectenus a se tanquam haereditaria possessa denuo in feudum potentioribus offerebant, vt securitati etiam eorum, cum abessent, magis consulereetur. Multa quoque hac tempestate ab ipsis Regibus coemta, aut pignoris loco apud se deposita nunquam postea ad dominum rediisse videntur. Deinde etiam ipsorum PP. iussu Clericis tributa horum bellorum necessitate imperata⁸⁾), quo-

ii) BOEHMERVS I. c. p. 46.

x) v. c. IO. MICH. HEINECCIUS de Sigillis, p. 215. *Occasione, inquit, Expedd. cruce. coeperunt paulatim homines figuris Scutorum orbi impressis tanquam gentilitiis tesseriis vii, easque non amplius mutare, sed ad posteritatis usum consecrare.*

y) Mentio fit insignium gentilitiorum in Legg. Hassiludialibus Henrici I. Gottingae latis ao. 938. Capitul. 12. apud GOLDAST. Constit. Tom. II. p. 43. Id ipsum sentire videtur III.

GATTERER in Descript. Heraldices p. 3. sqq. Ed. Norimb. 1774.

z) Excitat locum tale quid inuentum ex ROGERIO DE HOVEDEN. DU CANGIS in Nott. ad Alexiad. p. 350. *Statutum est inter reges, vt omnes de regno Francorum cruces rubras, de terris Anglorum albas, de terra Flandrensi virides haberent.*

a) CHIFFLETIVS in Lil. Franc. Veritat. Illustrat. c. VI. p. 44. ap. BOEHMERVM I. c.

b) IO. NIC. HERTIVS in Tract. de Feudis oblati, Hal. 1739. p. 19. sqq.

quo etiamnum nomine Reges Hispaniae vtuntur bellum in Africa contra Mauros caufantes, vt callide Clericos ad pendendas praestationes adigant.

§. XII.

Novum denique militiae genus his bellis auctoratum est ex superstitione gloriaeque cupidine mirifice conflatum, neque tamen vel splendore, vel utilitate contemnendum. Intelligebatur enim mature post receptam Palaestinam milite perpetuo opus fore ad incurfiones barbarorum reprimendas. Hoc igitur confilio militares illi sacri ordines conditi sunt, quanquam Hospitalariorum origines ipsas Exped. crucc. aliquantum excurrant^d). Impetrauerant enim ab Aegypti tyranno Amalphitani ex Italia mercatores, vt liceret sibi Hierosolymis hospitem domum ad reficiendos peregrinos aedificare, quem in locum dudum magna nobilium, aliorumque confluxerat copia, neque tamen ante annum 1099. iustae militiae formam induerant, vbi capta ciuitate Raimundus de Podio^e) dux quidam in Christianorum exercitu primus demum Ordinis Magister renunciatus est, cum antea Abbates habuisset, qui etiam regulam eorum sanxit. Excepit hos Templariorum^f) ordo ao. 1110. auctoribus Hugone de Paganis, et Gaufrido de S. Aldemaro institutus, quorum praecipua erat cura, vt itinera a latrociniiis tuta

*Natales
Ordinum
Equestrium*

F 3

red-

^e) MATTHAËVS PARIS. ad. a. 1255. DE VITR. c. 64. MARINVS SANVTO I. III. P. VII. c. 3.
^d) HOSPITIANVS de Monachis et Ordinibus I. V. c. 19 p. 3 o. Auctor omnium de hac re locupletissimus est REN. AVBERT. VERTOT. *Histoire de l'Ordre militaire de S. Jean.* Amst. 1732. Tomm. V.
^f) GVIL. TYR. I. XII. c. 7. I. C. DE VITRIAC. c. 65. MATTHAËVS PARIS ad a. 1113.

Consueuerunt semper Laici Praelati decimare, nunc Praelati Laici decimare coguntur. Concessa fuit decima in subsidium terrae Sanctae, castr. et ALT-SERRA de Feudis Galliae, c. V. Decimarum infeculationes laicas propagauit sacrae in Saracenos expeditionis necessitas sub Philippo Aug.
^d) GVIL. TYR. I. XVIII. c. 4. IAC. VITRIAC. c. 65. MATTHAËVS PARIS ad a. 1113.

redderent. Tertius Teutonicorum s̄ Marianorum ex utroque genere partem traxit, de brigine eius autem num Hierosolymis, aut in obsidione Ptolemaidis coeperit, ambigitur^g). Pari exemplo deinde in Hispania diuersi aduersus Mauros ordines erecti v. c. Milites d' Auis, et de Calatraua^h), quorum etiamnum clara vigent nomina. Quin omnes, qui ad nostram inde memoriam inclaruerunt sacri, saecularisque equitum ordines horum instar formati sunt. Mihique nouum illud commentum et tum perutile, et nunc maxime decorum videturⁱ). Nam vt praeteream, quae in ipsa Asia a primis equitibus strenue gloriosoque gesta sunt, vt, ne Latine maturius omni Asia exigerentur, his profecto deberetur, primumque in his perpetuae militiae exemplum tentaretur, multa quoque post amissum Orientem Ottomannorum imperio mala intulerunt. Inprimis autem Hospitalariorum virtute Rhodos nobilis insula ducentos amplius annos contra Turcorum arma egregie seruata, et hac etiam amissa infestum Muhammedanis animum secum Meliten attulerunt, vbi adhuc florentissima eorum stat respublica^k). Templariis interea alia omnia passis, quippe qui diuitiis elatiores facti Pontificum, Regumque imprimis Galliae ingentem sibi contraxerant inuidiam, ac Viennensis Concilii decreto summa cum atrocitate excisi sunt^l), lactiores agebant Mariani

Teuto-

a. 1118. MARIN. SANVT. I. C. et HOSPINIAN. p. 335. et recentiff. PIERRE DE PUY *Histoire militaire de Templiers*, Bruxelles 1751.

g) Commodè vtramque sententiam placari posse docet HAHNVS in *Hist. Imp. Germ.* Tom. IV. p. 44. Scilicet initia Ordinis iam ante obsidionem Ptolemaidis repetenda esse, post operam vero praeclare ibi positam rogata Principum Teutonicorum confir-

mationem a P. Coelestino III. accessisse. IAC. DE VITRIAC. c. 66. SANVT. I. C. PETRVS DE DVSEVRG in *Chronic. Prussl. Part. I. c. 11.* BANGERT. ad Arnoldum Lubec. l. III. p. 376. et VENATOR de Ordine Mar. Teut. p. 12. sqq.

h) HOSPINIAN. l. V. p. 343.

i) ROBERTSON. p. 89sq. coll. not. XXVI.

k) HOSPINIANVS p. 332. seqq.

l) *Annales Szeronis Altabens.* ad. a.

1311.

Teutonici. Anno enim 1226. a Conrado, Masouiae Duce, in auxilium euocati^m) consentiente Friderico II. ⁿ) Imp. non modo vniuersam sibi Prussiam subiecerunt, verum etiam, coalescentes cum Ordine Ensisferorum^o), Liuoniam sui iuris fecere, adeoque eorum opera imperii fines aliquandiu ad mare Balthicum porrecti^p). Quamobrem de hisce ordinibus commode dici posse arbitror domi fuisse ornamento, foris formidini. Inueniebant nobiles, vbi et rei militaris tirocinia ponerent, et si tenuis alioquin esset census, vnde splendide viuerent. Bona enim ciuium, quae alias Monachis, Coenobitiisque cumulatim offerrebantur, nunc ad equites illos confluebant. Neque etiam negari potest equestris huius disciplinae beneficio, in qua fortitudo, religio, atque elegantia noua prorsus ratione conspirabant^q), multum de

1311. HENR. DE REDDORF. *ad annum eundem Clemens V. Concilium Viennae celebravit, et extrinsecus ordinem militarem Templariorum ad suggestionem regis Franciae, quod in regno suo ille ordo multis bonis abundaret.* HAHNIUS TOM. V. p. 251. ac fufius CHRISTIAN. THOMASIVS in Dissert. de Templariorum Ordine sublato. Halae, 1705.

^m) PEIRVS DE DYSBURG. in Chron. Pruss. P. II. c. I. II. et VENATOR C. II. p. 16. et RAYM. DVELLIVS in Hist. Ord. Teutonici. Vienn. Austr. 1727. f.

ⁿ) Diploma Friderici II. extat ap. HAHNIUM TOM. IV. p. 212. ex RAYNALDO.

^o) De his praeter SCHVRTZFLEISH. in Hist. Ensisferor. ALBERTVS CRANZIVS SAXON. I. VII. c. 14. et HOSPIAN. I. VI. c. 20.

^p) CONRING. de Finib. Imp. I. II. c. 29. §. 34. Caeterum obseruandum est, iam alia occasione, per has sacras expedd. fines imperii ampliatos esse, exercitu nimirum contra Slauos du-

cto. HELMOLDVS ad. a. 1150. et in Chron. Slauior. p. 147. Terrius signatorum exercitus deuotauerunt se ad Oborritos et Lucicos, vltimi mortis et exterminia, quae inuulerant Christianis. et OTTO FRISING. de gestis Frid. I. I. c. 50.

^q) *Memoires sur l'ancienne Cheualerie, considerée comme un etablissement politique et militaire, par Msr. de la Curne de Ste. Palaye, Paris, 1759.*

^r) vid. Regula militaris Ordinis Wilhelmo Regi Rom. praescripta in Comitibus Coloniens. a. 1247. vbi sic legitur: *Debet miles pro fide Carholica corpus exponere, viduas, pupillisque protegere, iniusta bella vitare, iniqua stipendia renuere, pro liberatione innocens duellum inire, tirocinia non nisi militaris exercitia causa frequentare, caer.* ap. GOLDAST. Conflitt. Tom. III. p. 400. digna etiam sunt, quae conferantur *Statuta Ordinis Teutonici* apud RAYMUND. DVELLIVM Miscell. I. II. p. 12.

sanguinolenta veterum bellorum feritate esse descitum, ac iam non minus inter praecipuas boni Equitis laudes. reponeretur, innocentibus adesse, victis parcere, atque alia magno animo agere, quam hostem prostrernere, et spolia opima referre.

§. XIII.

Habebamus adhuc plura in animo, quae in hanc sententiam diceremus, sed multa, quia magis impedita, ac leuora videbantur, omittimus prudentes, multa etiam nos fortassis adhuc latent, per Gallos, Italos, ac Britannos Scriptores dispersa, quorum nobis haud pro voluntate fuit copia. Quicquid igitur a nobis allatum est pro mediocritate et ingenii et praesidiorum dictum esto. Sed nos manere adhuc video, ut coaceruatis utrinque rationibus, num commodae magis an incommodae orbi fuerint cruce. expedit. definiamus. Quicquid de utilitate earum dici potest, hactenus enarrare studuimus, his igitur seorsim spectatis si oppositas noxas simul perpendemus, quid sentiri debeat facile patebit. Dum enim molesta maleficorum turba egeritur, amittitur quoque insignis bonorum ciuium pars, atque incolis denudantur prouinciae, dum securitati publicae legibus ecclesiasticis cauetur, augetur superstitione, dum nostri Principes Turcas in Oriente vincunt, vincuntur ipsi Pontificum fraudibus, dum Graecis artibus ingenium potuit imbui, conuulsatur ingens reliquiarum farrago, superstitionis alimentum, ac tanti operis praemium, dum nauigatio et mercatura opulentiam parit, perit morum simplicitas, et luxuria inuehitur, fordidae excogitantur ciues depeculandi rationes, denique ipse cruce signatorum exercitus a P.P. nefarie aduersus Christianos, quin ipsos Imperatores dirigitur, animi Regum in Oriente crebra discordia exulcerati multo Europam foedarunt sanguine. Quamobrem his porro consideratis et nos demum in eam sententiam inducimur, plus damni, quam commodi ea occasione Europae illatum esse. Nihil tamen secius operae videbatur facturi pretium, si ea seligeremus, quae simul inde opportune prouenerint, praesertim cum res ipsa videretur noua, et ad excutendas rectius multorum institutorum, morumque origines vtilissima, adeoque nonnihil certe gratiae apud aequos censores inuentura.

Explicit Commentatio secunda.

Wittenberg, Diss., 1774-76



f

Sb.





Inches

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

22a 76

DE
VTILITATE
EXPEDITIONVM CRVCIATARVM

COMMENTATIO HISTORICA

PARS ALTERA

QVAM

PRAESES

GODOFREDVS AVGVSTVS
MEERHEMIVS

AA. MAG.

D. X. IAN. MDCCLXXVI.

HORIS POSTMERIDIANIS

IN AVDITORIO MAIORI

PROFVGNABIT

RESPONDENTE

IACOBO CHRISTIANO REINHOLDO

DRESDENS. R. V. CVLT.